

2949

LITURGICI

2950

*Terra meritis, corpore
Triumphat felix patauia.*

Kandem Sequentiam, uti et Benedictionem Uvae Missalia Pataviensia Seculi XVI. initio pluries per Johannem Winterburger f. et 4. Vindobonae impressa retinent. Recensui ea in Wiens Buchdrucker-geschicht 1782. 4. ibid. edita.

DCCCXVI.

22 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 328. f. max. nitide scriptus et coloribus illustratus est *Liber Missalis* in usum Monasterii cujusdam Dioecesis, ut videtur, Salzburgerensis exaratus; Fol.

enim 126. p. 2. in Officio Sabbati S. rubrica sic habet: *igitur procedant de choro cum silencio faciente stacione ex utraque parte monasterij in medio vero monasterio aptetur locus et ornatur tapetis et purpura &c.* Quod vero Dioecesi adinet, tam in *Calendario* Codici praefixo et solito pauciora SS. nomina continente festa *Rudberti* et *Virgilii* literis miniatis consignata sunt, quam in *Proprio Missarum de Sanctis fol. 278.* extant peculiare de iis Missae. *Sequentia de S. Rudberti* sic incipit:

*Gloriosa fulget dies
Exultet Ecclesia
Angelis hominibus
Pax et leticia &c.*

Missae, ut alias, incipiunt a *Dominica prima Adventus*. Post Festum Corporis Christi interjiciuntur Missae *in Dedicacione Ecclesie* et *in dedicacione altaris*, *Laus angelica* sive Gloria in excelsis, eaque iterum ad B. Virginem accommodata hoc rubro: *De beata uirgine sancta Maria*. tum *Symbolum Apostolorum*, *Prefationes* per annum, mox *Canon*, ante quem depicta cernitur imago *Servatoris* tribus solum clavis cruci adfixi, et in quo Papae, Episcopi et Regis fit mentio. His absolutis resumuntur Missae de tempore a *Dominica prima post octavam pentecostes*. Missae de SS.

incipiunt a *Fol. 229.* habentque *Sequentias* nunc ut plurimum exoletas, *Missae de Comuni SS.* a *Fol. 289. pag. 2.* *Missae priuatis diebus* a *Fol. 310.* Sunt vero hae pro *Dominica de sancta trinitate*, pro fer. II. *de sapientia eterna*, pro fer. III. *de sancto spiritu*, pro fer. IV. *de angelis*, pro fer. V. *de caritate*, pro fer. VI. *de s. cruce*, pro sabbato *de beata uirgine*. *Officium Defunctorum*, Missae quaedam *speciales* v. g. *pro peccatis*, *pro iter agentibus &c.* et *Orationes: pro diuersis necessitatibus* codicem terminant. Has inter *Oratio: Deus regnorum omnium et christiani maxime protector*

2951

C O D I C E S

2952

Hor imperii &c. inscripta est pro Rege, licet superius Sabbato sancto pro Imperatore oratum fuerit.

DCCCXVII.

- ³³ Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. max. eleganter scriptus et coloribus exornatus continet *Missale Dioeceseos Brixinensis* in Tyroli, id, quod

colligitur cum ex praefixo *Calendario*, in quo Nonis Febr. dies festus SS. *Ingenuini et Albuini*, Prid. kal. Augusti *Dedicatio in Brixina*, atque Idib. Aug. dies festus *S. Cassiani Episcopi et Martyris* miniatis literis consignantur, tum ex *Missis propriis Sanctorum*, in quibus extat *Missae de SS. Ingenuino et Albuino fol. 157. cum sequentia*, cujus hoc est initium:

*Innouentur hac in die
Soni dulces symphonie
Ad festiua gaudia
Et in laudem confessorum
Vox erumpat leta quorum
Subest nunc memoria &c.*

Missae item de S. Cassiano fol. 178. pariter cum sequentia hujus principii:

*Gloriosa fulget dies exultet ecclesia
Hominibus pax et leticia
Immortali translatus emicat memoria
Cassianus martir nostra spes et gloria &c.*

Missae demum horum SS. simul fol. 217. cujus sequentia sic orditur:

*Exultet polus hijs pollens sideribus
Applaudat tellus cunctis cum fidelibus
Et tu brixina felix ex gratia multifaria &c.*

Ante canonem visitur Christi imago *tribus* tantum clavis cruci suffixi. In ipso canone fit oratio etiam *pro Rege*. Ad calcem Codicis adscripta est *Benedictio (vini) amore sancti Iohannis apostoli et ewangeliste.*

DCCCXVIII.

Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 330. 4. per duas columnas exaratus, literis initiorum laborioso artificio coloratis, deauratisque, et eleganti picturarum varietate decorus, Liber *Missae*